

# COMPENDIUM

PHILOSOPHIAE FRATRIS HIERONIMI DE FERRARIA, ORDINIS PRAEDICATORUM.

INCIPIT LIBER PRIMVS DE

Ente in communi, & de ijs, quæ  
ipsum sequuntur.



OMNES homines natura  
scire desiderant.

*Proximo  
meta.*

*l. Paul. si*

Omnes enim homines, sicut et aliæ res suam perfectione desiderant, & naturaliter ad propriam operationem inclinatur, cupiuntque maxime coniungi suo principio.

Perfectio autem intellectus est scientia, & intelligere ac scire est operatio hominibus propria, per quam etiam maxime suo principio coniunguntur: inest igitur homini naturale desiderium sciendi: huius etiam signum est sensuum dilectio. Non enim diligimus sensus propter hoc solum, quia sunt nobis utiles, & necessarij, sed etiam propter ipsum cognoscere: unde magis diligimus sensum visus, eo quod per ipsum res melius cognoscimus, & plures eorum differentias nobis demonstrat, quam ceteri sensus.